

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livii Patavini Historiarvm Libri Qvi Svpersvnt Omnes

Livius, Titus

Mannhemii, 1779

Liber VII, epitome

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1259)

TITI LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
AB URBE CONDITA
LIBER VII

EPITOME

*D*UO novi magistratus adjecti sunt, prætura & curulis ædilitas. Pestilentia civitas laboravit, eamque insignem fecit mors Furii Camilli : cujus remedium & finis quum per novas religiones quæreretur, ludi scenici tunc primum facti sunt. Quum dies L. Manlio dicta esset a M. Pomponio tribuno plebis propter delectum acerbe actum, & T. Manlium filium rus relegatum sine ullo crimine; adolescens ipse, cujus relegatio patri objiciebatur, venit in cubiculum tribuni, stricloque gladio coëgit eum in verba sua jurare, non perseveraturum se in accusatione. Quum telluris hiatu tota ad ultimum territa patria

foret, tunc omnia pretiosa missa sunt in præaltam voraginem urbis Romanæ: in eam Curtius armatus, sedens equo, se præcipitavit, eaque expleta est. T. Manlius adolescens, qui patrem a tribunicia vexatione vindicaverat, contra Gallum, provocantem aliquem ex militibus Romanis, in singulare certamen descendit, eique occiso torquem aureum detraxit, quem ipse postea tulit, & ex eo Torquatus est nuncupatus. Duæ tribus additæ, Pomptina & Publilia. Licinius Stolo lege ab ipso lata damnatus est, quod plus quingentis jugeribus agri possideret. M. Valerius tribunus militum Gallum, a quo provocatus erat, insidente galeæ corvo, & unguibus rostroque hostem infestante, occidit, & ex eo Corvi nomen accepit; consulque proximo anno, quum annos viginti tres haberet, ob virtutem creatus est. Amicitia cum Carthaginensibus juncta. Campani, quum urguerentur a Samnitibus bello, auxilio adversus eos a senatu pe-

E P I T O M E 5

*cito, quum id non inpetrarent, urbem
 atque agros populo Romano dediderunt:
 ob quam caussam ea, quæ populi Romani
 facta essent, defendi bello adversus Sam-
 nites placuit. Quum ab Cornelio consule
 exercitus in iniquum locum deductus in
 magno discrimine esset, P. Decii Muris
 tribuni militum opera servatus est. Qui,
 occupato colle super id jugum, in quo
 Samnites confederant, occasionem consuli
 in æquiore locum evadendi dedit: ipse
 ab hostibus circumfessus erupit. Quum
 milites Romani, qui Capuæ in præsidio
 erant relictæ, de ea occupanda urbe conspi-
 rassent, & detecto consilio, metu supplicii
 a populo Romano defecissent, per M. Va-
 lerium Corvum dictatorem, qui consilio
 suo eos a furore revocaverat, patriæ resti-
 tuti sunt. Res præterea contra Hernicos,
 & Gallos, & Tiburtes, & Privernates,
 & Tarquinienses, & Samnites, & Volscos
 prospere gestas continet.*